

BENEDICTIO DOMORUM

IN SABBATO SANCTO PASCHAE.

TITULUS VICESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Haec Benedictio spectat ad Parochos.
- 2 Regulares illam praestare non possunt extra limites Monasterii.
- 3 Quilibet Sacerdos de consensu Parochi potest hoc facere.
- 4 Debent ad hoc eligi Sacerdotes aetate proveci.
- 5 Parochus cum multo Clero, et Ministris accedere debet ad benedicendum.
- 6 Benedictio haec debet fieri in Sabbato sancto.
- 7 Cum Aqua Benedicta ad Fontem.
- 8 Hodie iste Ritus non adimpletur?
- 9 Rationes cur non adimpletur.
- 10 Hodie anticipatur ista Benedictio.
- 11 Mos aliarum Regionum circa hanc Benedictionem.
- 12 Modus faciliter adimplendi hoc munus.
- 13 Parochus non debet transilire fines suos.
- 14 Cathedralis Ferrariae plene satisfacit huic Ritui.
- 15 Causa finalis hujus Benedictionis?
- 16 Mysterium hujus Benedictionis.
- 17 An domus omnes capaces sint hujus Benedictionis?
- 18 Loca, seu Aedes quae benedicendae non sunt.
- 19 Utile per inutile non vitiatur.
- 20 Canistrum pro ovis non deportandum in hac Benedictione.
- 21 Benedictio facienda in domo, non extra eam.
- 22 Parochus non tenetur totam domum circuire.
- 23 Sufficit, ut nobiliora loca aspergat.
- 24 Antiphona: *Vidi Aquam, etc.* a quo instituta?

1 2 3 Hanc Benedictionem spectare ad Parochos, satis clare docet Barbosa *de Pot. Paroch. cap. 12. num. 11.* cum pluribus Doctoribus, et decretis Sac. Rit. Congr. praecipue contra Regulares emanatis, quibus prohibetur hanc Benedictionem facere extra limites suorum Monasteriorum, ne jura Parochorum violentur. Attamen quilibet Sacerdos de consensu Parochi, potest idem praestare.

4 5 Sed prudenter cavere debet Parochus, quosnam Sacerdotes ad hoc munus exercendum mittat, ne Benedictio in maledictionem convertatur, ob varia Personarum genera, ad quas haberi debet accensus. Quare S. Carolus, *Act. p. 1. Conc. Prov. 5.* circa hanc Benedictionem multa docet, quae praestanda sunt a Parocho, inter quae locum habet, ut accedat multis Sacerdotibus comitatus, ac Clericis, si fieri potest, ad evitandas omnes occasiones sistendi, et alloquendi cum Personis in illis domibus degentibus.

6 7 Generice loquendo, et universaliter, debet haec Benedictio fieri in Sabbato Sancto, ita praescribente Rituali nostro: et taliter hac die facienda est, ut non aliam Aquam adhibere possit Sacerdos pro illa habenda, nisi eam, quae in tali die de more ad fontem solemniter benedicatur ante perfusionem Chrismatis, ea ratione, quia si adhiberetur Aqua cum Oleo, et Chrismate, de facili macularentur vestes, et loca, super quibus aspersio fieret.

8 9 10 11 Verum hodie iste ritus quoad diem, et quoad Aquam plene non adimpletur; excusatio a Parochis allata est, quia Parochiae ut plurimum vastae sunt, nec una die circui commode possunt. Insuper dies ista abbreviatur si attendenda est Benedictio fontis, quae summo mane fieri non solet. Ulterius Parochus in mane illius diei ad functionis ecclesiasticae incumbere debet: Horis vero vespertinis, in audiendis Sacramentalibus Confessionibus totum insumitur tempus. Igitur anticipatio haec videtur quasi necessaria, ut singulae domus Benedictionis munere purificentur, expienturque: Pro quo Aqua lustralis consueta adhiberi solet, non illa de Benedictione Fontis, quia nondum consecrata est. De facto, ut notat Barbosa *d. l.* in Italia tantum solent fieri aspersiones domorum in die Sabbati Sancti, sed in Lusitania fiunt vel primo, vel secundo die post Dominicam Resurrectionis. Tunc servari potest ritus praescriptus de adhibenda Aqua benedicta in Benedictione Fontis servata sine infusione Chrismatis.

§. I. Parochus, seu alius Sacerdos, superpelliceo, et stola alba indutus, cum Ministro deferente Vas Aquae ex Benedictione Fontium, ante perfusionem Chrismatis acceptae, visitat Domos suae Parochiae, eas aspergens eadem Aqua benedicta.

12 13 Juxta praescriptum Rubricae, ut supradiximus, difficile est procedere (nisi Parochia sit in brevi circumdario
COM. T. II.—P. 35.

contenta) nec alio modo hoc fieri potest, quam plures Sacerdotes adhibendo, et cuique portione sui itineris assignando: Ubi advertantur illa verba nostri textus: *Domos suae Parochiae*, a quibus praecipitur ne Parochus transiliat fines suos, neque falcem mittat in messem alienam, jura Parochialia turbando, contra omnem justitiam: reprehensibilis enim esset, et ab Ordinario puniendus qui aliter faceret. Caeteroquin mos est pene universalis hanc Benedictionem facere in hebdomada majori incipiendo a feria secunda.

14 In Ecclesia vero Cathedrali Ferrariensi, quae Parochialis est, indispensabiliter haec Benedictio fit in Sabbato Sancto, cum Aqua ad fontem benedicta, quam Capellani Curati deferunt, et aspergunt per Domos, et Officinas publicae Plateae inter tamen fines Parochiales.

15 16 Causa finalis hujus Benedictionis est incolumitas Fidelium, et pacifica habitatio illorum in suis domibus: Mysterium vere est, ut si ex malitia habitantium, maligni spiritus ibi fixerint sedem, virtuti Benedictionis, et Resurrectionis Christi expellantur, sicuti a Christo triumphante in sua Resurrectione Princeps hujus mundi ejectus est foras. Item quia in Sabbato Sancto sanctificati Fideles per Sacramenta annuae confessionis, et communionis, in domibus Benedictione sanctificatis habitare debent. Ideo etiam in signum Resurrectionis Christi adhibetur Stola albi coloris, quae non potest adhiberi in antecedentibus diebus, ita Quartus *de Benedictionibus*, n. 270. 271.

17 18 19 Quaeritur, an omnes domus capaces sint hujus Benedictionis? Cui respondeo cum S. Carolo, *Prov. 5. p. 1.* non esse benedicendas aedes, in quibus aliquis excommunicatus habitat. Item neque illas, quas Faeneratores, Meretrices, publici peccatores, manifestique criminosi homines incolunt. Similiter neque illas, quae publice expositae sunt aleis, ludisque vetitis. Quod confirmat Quart. *d. num. 274*, ubi notat, quod si excommunicatus vitandus sit Pater familias, ita ut omnes habitantes in ea domo sint subordinati, et subjecti ipsi excommunicato, tunc absolute ea domus benedici non debet; quia in hoc casu benedictio non potest moraliter fieri nisi in favorem excommunicati. Quod si in eadem domo habitent alii non subordinati, nec subditi excommunicato, poterit benedici domus in favorem illorum, quia utile per inutile non vitiatur. Si excommunicatus pariter esset toleratus, et non vitandus, posset ejus domus et valide, et licite benedici, quia licet excommunicatus privetur Ecclesiae suffragiis, et non possit communicare cum aliis Fidelibus nihilominus quando est toleratus, possunt libere alii fideles communicare cum illo, etiam in divinis.

20 Insuper non omni laude dignus est usus ille aliquorum

locorum, in quibus Parochus, seu alius Sacerdos, habita facultate, circuit ad benedicendas domos cum Clerico deferente Vas Aquae benedictae, et insimul cum Vase Canistrum ad Ova, et salsamenta colligenda, non pro mercede Benedictionis, sed sponte oblata in signum gratuitum, ac etiam Nummos, et pecuniam, quam in Vas Aquae benedictae immergere solent; quia praeter malum odorem avaritiae, et suspicionem Simoniae, habemus ex Concilio Provinciali V. S. Caroli ista praecisa verba, hoc prohibentia: *Benedictionis hujus causa, seu occasione, nihil plane quidquam vel minimum, neque is, neque Sacerdotes, Clericive, quos sibi socios, adjutoresve adjunxerint, petant, exigant, ac ne sponte quidem (quod notabile est) ultroque oblatum, donec datum capiant.*

§. II. Ingrediens domum dicit: *Pax huic domui, etc.*

21 De hoc versic. *Pax huic domui, etc.* jam verba fecimus *Tit. de visitat. et cura Infirmor.* Per illa verba *Ingradiens domum, etc.* praecipitur, in domo fiat Benedictio, non extra illam, vel in janua.

§. III. Deinde aspergens loca praecipua domus, et eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam: *Vidi aquam, etc.*

22 Non tenetur Parochus, si vero Sacerdos totam domum circuire, ascendere, et descendere ad altiora, seu inferiora loca, et multo minus ad serviles cellulas; sed sufficit, ut noviliora loca visitet, et aspergat: Praecipua enim pars, et nobilior trahit ad se ignobiliorem.

24 Antiphona *Vidi Aquam, etc.* instituta est ab Ecclesia dicenda in Paschate loco alterius *asperges me, etc.* Atque ex hoc etiam patet, quod ista Benedictio fieri non potest nisi in sabbato Sancto: quia in feriis antecedentibus Ecclesia utitur alio Versiculo et Antiphona *Asperges me, etc.* Verba illa *Vidi Aquam, etc.* desumpta sunt, et accommodata ad hanc rem ex Exaechiele, *cap. 47.* ubi propheta describit Aquas subter limen domus agredientes, et in latus Templi dextrum descendentes, quae efficiuntur Torrens, qui tandem non potest transvadari, et sanat omnia, ad quae pertigerit.

— 276 —

ALIA

BENEDICTIO DOMORUM

ALIO TEMPORE FADIENDA CUM ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE.

TITULUS VICESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 Domus benedici possunt quocumque tempore.
- 2 Haec Benedictio nequit repelli ab habitantibus.
- 3 Consuetudo est, ut non nisi vocatus Parochus accedat.
- 4 Aqua lustralis consueta adhibenda est.
- 5 Quaecumque loca possunt benedici hac Benedictione.
- 6 Et non tantum noviora, ut in antecedenti Benedictione.
- 7 Antiphona: *Asperges me*. est communis cuiusque Benedictioni.

Xenocrates Philosophus dicere solebat: Domum diis amicam illam esse, quae Coelesti rore quotidie aspergeretur, *Stob.* 16.

Quod ego ad Christianam veritatem transferens, dico, Domum Deo amicam illam fore, quae saepe coelesti benedictione perfunditur. Hoc animadvertens Ecclesia Mater, ad omnium consolationem, hunc Ritum, domos Benedicendi quocumque tempore instituit.

§. I. Parochus, seu alii Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium, alio tempore infra annum aspergere Aqua benedicta, ingredientes domum dicant: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea, etc.*

1 2 3 Quaecumque igitur tempore domus benedici possunt, ut ex textu apparet: immo videtur, quod Parochus, quocumque tempore sibi lubeat, possit hoc facere absque eo quod interpelletur, adeo ut repelli ab habitantibus nequeat, verbum enim illud *volentes*, importat jus dispoticum, et liberum, absolutumque arbitrium, *Barb. d.* 436. *nu.* 1. *l.* 1. §. *Scientiam d. de tribut. l. d. de divers. reg.* *Alciat. lib.* 1. *c. de Summ. Trin.* Consuetudo tamen est, ut non nisi vocatus accedat ad benedicendam domum, ob spiritum infestationem, ob jurgia, et dissensiones inter familiares, ob infirmitates numerosas, seu ob aliam rationabilem causam.

4 Aqua benedicta, quae in hoc casu habitetur, est illa praescripto modo facta extra Sabbatum S. quia extra hunc diem non est in usu aspersio ex Aqua de Sacro Fonte unice Sabbato S. assignata.

§. II. Deinde loca aspergendo dicat Antiphonam, *Asperges, etc.*

5 6 In hoc casu possunt benedici quaecumque loca, non vero praecipuora domus ut in antecedenti Benedictione, quia haec fit elective, illa vero praeceptive.

7. Antiph. insuper *Asperges me, etc* est illa communis cuiusque Benedictioni, et quocumque anni tempore, excepto Paschali, adhibenda: Versiculus ex *Ps.* 50. *Miserere* desumptus est.

recentioris originis in Ecclesia (approbata enim fuit anno 1634, sub Urbano VIII. Papa) non improbable videtur, Ecclesiam hac nova Benedictione, antiquam ampliari voluisse Precibus Orationibus, et Ritu majoribus.

BENEDICTIO LOCI.

TITULUS VICESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Loca plura in domibus sunt, quae benedici possunt.
- 2 Quo fine instituta fuerit haec Benedictio?
- 3 Locus quid, ei quotuplex sit?
- 4 Multa nomine Loci significantur.
- 5 Benedictio haec adhiberi potest pro universitate Populi intra metas unius Loci habitante.
- 6 Locus potest esse habitaculum Viventium, et Mortuorum.
- 7 Haec opinio valet in temporalibus, non in spiritualibus.
- 8 Benedictio Populi, et Agrorum amplior est.

1 2 Loca plura in Domibus, sive in Eedibus sunt, quibus impertiri potest Benedictio particularis, si id loci habitatores, seu possessores poscant: atque ita pro istis praecipua Benedictioem statuit Ecclesia, ad benedicendum, purgandum, et sanctificandum eundem locum, atque habitantes in eo.

3 4 5 6 7 8 Quid sit Locus, et quotuplex esse possit, clare demonstratur ab Antonello *de loco leg. lib. 1. cap. 1. et 2.* Ubi, cum sit, quod nomine loci accipi possit Territorium, Districtus, Parochia, vel Jurisdictio, Rosenth. *de feud. cap. 12. concl. 15. nu. 20.* sequitur, ut ista Benedictio adhiberi possit non tantum pro Benedicendo loco particulari alicujus Aedis, sed etiam pro Universitate, et Communitate, seu Hominum Congregatione intra metas unius Loci habitantium, *l. locus, ubi gloss. ff. de verb. signif.* Qui locus, non tantum Viventium esse potest habitaculum, sed etiam Mortuorum, Cepoll. *in tit. de usucap. pro donato, §. sive Dominus, n. 4:* atque ideo Benedictio indigere potest. Sed ego puto, hanc opinionem habere locum in rebus temporalibus, non autem in spiritualibus; nam pro his postremis Ecclesia statuit aliam Benedictioem adhibendam, quae est illa nuncupata *Benedictio Populi, et Agrorum;* de qua in fine Ritualis. Nihilominus cum haec sit

BENEDICTIO DOMUS NOVAE.

TITULUS VICESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Tres Benedictiones assignantur pro Domibus.
- 2 Prima in Sabbato Sancto.
- 3 Secunda quocumque tempore.
- 4 Tertia quando Domus sit noviter aedificata.
- 5 Benedictio haec pro tertia ratione instituta est.
- 6 Domine Domus veniunt alia loca.
- 7 Causa et effectus hujus Benedictionis.
- 8 Benedictio haec potest impertiri a quocumque Sacerdote.
- 9 Benedictio ista non est de juribus Parochialibus.
- 10 Aqua consueta lustralis adhibenda pro hac Benedictione.

1 2 3 4 5 6 Tres benedictiones assignantur a Rituali Romano habendae circa domos: Prima fit Sabbato Sancto cum aqua e Fonte Baptismali desumpta: Altera alio quocumque tempore, et ad libitum Postulantis: Tertia vero quando domus est recenter aedificata. De prima, et altera jam exposuimus quae necessaria sunt in antecedentibus Titulis XXI. et XXII. Remanet igitur ut de tertia aliquid dicamus. Domus itaque nova, vel quodcumque aedificium ad usum fidelium, de recenti constructum indigere possunt hac Benedictione, ut locus, et habitantes in eo sanctificentur, et ab omni Daemonum incursu tueantur.

7 8 9 Fit eo modo, quo secunda, sed a quocumque Sacerdote fieri potest, quia de Parocho nullam mentionem facit Rituale, et consequenter ad eum de jure non pertinet, Quart. tit. 3. dub. 1. numer. 273.

Insuper in hac Benedictione adhibenda est Aqua, quocumque tempore in forma Ecclesiae consueta, benedicta non vero ea, quae benedicatur in Sabbato Sancto, nisi haec Benedictio fieret tempore Paschali.

10 Non venire nomine Domus, Officinas a domibus sejunc-

— 281 —
tas opinatur Peregrin. *de fideicommiss. art. 31.* et quidem multa ratione, sed tantummodo in civili Judicio hanc sententiam valere credo. Secus in spiritualibus negotiis, praecipue loquendo de benedictione, quae cum sit quid Boni, limitationem non patitur; *cap. nemo, de consecr. et cap. auctoritatem, de privil. in 6.* Sicuti enim benedicatur nova Domus ut in ea habitantes tueantur ab adversis, ita potest et hac benedictione indigere officina ad tuendos in illa habitantes, et laborantes.

BENEDICTIO THALAMI.

TITULUS VICESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Haec Benedictio videtur spectare ad Parochum.
- 2 Thalamus quid sit?
- 3 Cohabitatio Sponsorum venit de consequenti post Matrimonium.
- 4 Potest tamen fieri haec Benedictio a quocumque Sacerdote.
- 5 Thalamus debet esse ornatus.
- 6 Sacerdos benedicens non debet vana loqui.
- 7 Tempus proprium hujus Benedictionis.

1 2 3 4 Videtur, quod sicuti Benedictiones Nuptiales ad Parochum de jure spectant, ita quoque, et de consequenti, ad eundem Parochum pertineat Benedictio Thalami, qui consummationi Matrimonii inservire solet. Thalamus enim communiter accipitur pro Cubiculo Nuptiali, seu Lectulo Sponsis destinato, ut ex verbis Orationis in tali Benedictione adhibitae clare patet. Unde cum cohabitatio, et conjunctio utriusque Sponsi veniat de consequenti post Sacramentum Matrimonii, et post Benedictionem Nuptiarum posset hujus Thalami Benedictio considerari inter jura Parochialia. Sed contraria, et negativa sententia tenenda est; nam Rituale hanc Benedictionem exponens, nihil de Parocho loquitur. Igitur a quocumque Sacerdote fieri potest, dummodo servet quae ab eodem Rituali praescribuntur.

5 6 Iste Thalamus debet esse decenter ornatus, et ab omni sorde mundatus, ob dignitatem Sacramentalis Benedictionis; atque in ea ministranda non multum immorari, nec vana loqui debet Sacerdos.

7 Tempus ad hanc Benedictionem destinatum esse solet illud ipsum, quo celebrantur Nuptiae, vel paulo post, et semper antequam Sponsi conveniant.

BENEDICTIO NOVAE NAVIS.

TITULUS VICESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Temeritas humana est navigare.
- 2 Navis in Aqua multis periculis exposita.
- 3 Benedictio haec instituta ad tuendam Navem a periculis.
- 4 Intentio Ecclesiae in hac Benedictione.
- 5 Sacerdos quilibet potest esse Minister hujus Benedictionis.
- 6 Sacerdos quomodo indutus accedere debet ad Navale.
- 7 Naves benedici debent antequam Mari tradantur.

1 2 3 4 Sibi ipsi discrimen est in navigatione temeritas humana, ut optime inquit S. Ambrosius allegatus a Quart. Sect. 10. *Praelud.* 1. num. 282, Quare cum Navis in Aqua sit multis periculis exposita, maternus Ecclesiae amor optime disposuit, ut priusquam nova Navis, Ventorum, et Aquarum libero dominio poneretur, per sanctam Benedictionem aliquo supernaturali munimine tutaretur, ut fidentius illi gentes, et merces se traderent. Qua Benedictione salutare documentum Nautis praebetur, ut in casu tempestatis, et procellae, Deum invocare non desinant, ejusque auxilium, cui Mare, et Venti obediunt, ut mittat Angelum suum ad Navem custodiendam, dexteramque suam porrigere non dedignetur, eo pacto, quo illam porrexit Petro super Mare ambulanti, et timenti.

5 Minister hujus Benedictionis potest esse quilibet Sacerdos, non enim est de juribus Parochialibus, ut ex ipsa Rubrica patet, quae nullam de Parocho mentionem facit.

6 7 Sacerdos itaque cum superpelliceo, et stola violacei coloris, atque insuper cum Aqua benedicta, se conferre debet ad Navale, seu ad locum, ubi constructa fuit nova Navis, et perfecte ab omni opere absoluta, atque illam, priusquam in Aquam immittatur, ibi in forma consueta benedicere.

BENEDICTIO COMMUNIS

SUPER FRUGES, ET VINEAS.

TITULUS VICESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Quid veniat Frugum appellatione.
- 2 In hac Benedictione intelliguntur segetes adhuc vitentes.
- 3 Quid intelligatur nomine Vinearum?
- 4 Potest intelligi etiam de Agris.
- 5 Vineae non ubique eodem modo plantantur.
- 6 Origo hujus Benedictionis.
- 7 Finis hujus Benedictionis.
- 8 Mysteria hujus Benedictionis.
- 9 Benedictionis hujus praecipui effectus.
- 10 Tempus pro impertienda tali Benedictione.
- 11 Est functio quasi Parochialis.
- 12 Sacerdotes intervenientes huic Processioni non debent deferre Stulam.

1 2 Uno Nomine Frugum, omne illud significatur, quod est ad victum humanum: ut colligitur ex *l. frugem* 77. *in fine, ff. de verb. signif.* et quod importet fructus substantiam, et rem fructiferam, refert Card. Thusc. *pract. concl. tom 8. litt. T, concl. 392 num 6.* Barbos. de *Apell. verb.* 104. In nostro casu vero a praesenti Tuxtu allegato, nomine Frugum intelliguntur Segetes adhuc virentes, ut ex ipsiusmet benedictionis verbis docet Quart. *Sect. 8. praelud. 1. numero 262.*

3 4 5 Ita nomine vinearum intelligitur etiam Terrenum, in quo sunt Vites plantatae, necnon Atundinetum, sive Cannetum Vineae perpetuo destinatum, Bald. *cons.* 410. Caputaquen, *dec.* 223. Barbosa de *Apell.* 273. *nu.* I 3. et 3. Textus vero noster amplectitur etiam Agros, quia non ubique locorum viget usus Vinearum, sed in plerisque Regionibus Vites plantatae insurgunt per arva, et Agros, arboribus complicatae.

6 7 Ista Benedictio antiquissimae originis est, et usque

a temporibus Apostolorum, ut refert Marsil. Columna in *Hydragiologia, sec. 2. cap. 7.* ad tradit. per Quart. *ibid.* quo ait cum vera fides doceat, omnium rerum productiones, seu ortus, et pariter incrementa ex Dei nutu pendere, semper consueverunt Fideles incrementa Frugum, et Segetum per Benedictionem petere a Deo, *qui operit Coelum nubibus, et parat Terrae pluviam: Qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum,* Ps. 846.

8 9 Mysteria hujus Benedictionis multa sunt, tradita a Quart. *dict. l. nu.* 263. effectus vero praecipui sunt, ut fructus ad maturitatem Deo auxiliante perveniant, ut nequitia Daemonum arceatur, et ut debita moderatione in Dei laudem utamur iisdem fructibus.

10 11 12 Tempus hujus benedictionis solet esse in Vere; imo Quart. *d. n.* 262. docet, quod solet solemniter fieri, indicta propria Processione ut concurrentibus Populis, votis, et precibus, benedictio sit magis efficax: unde frequentius fieri solet in Feriis Rogationum, ante Ascensionem, vel in die S. Marci, quando dicuntur Litaniae majores. Hinc haec Benedictio dici potest quasi Parochialis; atque ideo S. C. Concil. *die 28. Agust. 1688.* allegat. a Monacell. *T. 2. tit. 13. n.* 79. decrevit, quod simplicibus Sacerdotibus Saecularibus et Regularibus (nisi gerant vices Parochi) vetitum fuit in hac functione, et Benedictione deferre Stulam.